

obitu Judæ Sancti usque ad absolutum Talmud. Sed hujus consecuti Operis epocha incerta, cum alii susceptum Talmud Jerosolymitanum paulò post obitum Judæ autumaverint; Babylonicum verò non nisi 100. annis ferius digestum est. Alii ejus exitum componunt cum tertio sæculo Ecclesiæ, alii cum quarto, alii cum quinto. Pater Morinus non nisi ante exitum octavi sæculi elucubratum defendit.

Vide Basnag. hist. Jud. l. 10. c. 2. 2. 2.

Hos Doctores Misnæ Interpretes excipiunt *Seboraimi*, i. e. Doctores dubii, sive incerti, quorum etiam incerta epocha ob Perfarum Regis, uti quidem ferunt (s), persecutionem. Post obitum Judæ Sancti, Scholæ & scientiæ, uti supra animadvertimus, in Transjordanica circa medium tertii sæculi transmigrarunt. Octava classis est Sapientum *Geonim*, vel excellentium; quo se titulo distinxerunt Doctores Babyloni, agentes Soræ, Pondebitæ, Nahardæ, & alibi usque ad annum 1037. Ultimam tandem classem habent vulgares Rabbinæ, apud Judæos hodie usque agentes iis in locis, ubi Religionis suæ liberum exercitium obtinent. Porro tota horum Rabbinorum gens in tres sectas distinguitur, in Rabbanistas, Cabalistas, & Caraitas, quorum singulis peculiaris est agendi ratio. Rabbanistæ inhærent traditionibus & interpretationibus, contententes traditiones omnes in Talmude relatas à Moysæ in monte Sinai instructo derivatas profluxisse, non secus ac Legis doctrinam; quare eodem autoritatis gradu, quo Legem ipsam, recipiunt. Cabalistæ latentis cujusdam & mysticæ scientiæ arcanum custodiunt, quod scilicet sub verbalibus quibusdam, verborum lufibus, supputationibus, atque ad arbitrium excogitatis literarum consimilium affinitatibus compendii sibi traditum fibique referatam affirmant. Caraitæ literam Legis scriptæ præ ceteris tenent; traditiones verò non indiscriminatim omnes admittunt rejiciuntque; quare inter Doctores omnes Synagogæ, ingenii indole & discretione præstant.

Tres priores Doctorum classes à Moysæ usque ad captivitatem Babylonicam certum successione gradum, sicut & doctrinæ, si quæ alia unquam, infallibilis traditionem constituunt; universa enim ejus autoritas non ex alio repetitur, quàm è Spiritu Sancto Doctores ejus successione sin-

gulos affante. Quamvis enim prona in fabulas Rabinorum in doles tenebris quibusdam asperferit successione Patrum in agne Synagogæ; veri tamen genuinæ traditionis radii internitent, cum ad eam usque ætatem Israel vera esset Ecclesiæ, nec specialis Sancti Spiritus Providentia ejusdem Ecclesiæ Optimates penitus destitisset.

Verum post Jesum Christum, Urbemque Metropolitim à Romanis everfam, passim tenebræ, fabellæ, & doli Historiam Hebræorum invaserunt, è quibus alta rerum ignorantio in eorum Scholis, in mentibus caligo. Lumine enim Sancti Spiritus destituti, plenâ etiam in luce cacutire coguntur, & spectra quædam fœdantes, veritati, quamquam aliqui pronæ, & nullibi non se eorum manibus offerenti, terga vertunt. Sive enim quis Libros spectaverit, quorum illi post Scripturas autoritatem suscipiunt, ut Misnam, Gemarram, Thalmudes, Targumin, sive Commentarios in eisdem Libris ab illis scriptos, sive Historias, vel interpretationes Scripturarum, sive de Dogmatibus scriptas controversias, inserta omnia anilibus, & plusquam puerilibus fabellis deprehendet. Undique sese lestoribus ingerunt argumenta gentis pervicacissimæ, quæ criminum suorum merito, stolidæ mentis ludibriis relicta est.

Porro corruptendæ doctrinæ atque minuendæ Hebræicarum scholarum gloriæ prima ratio, insitæ genti in errore pervicaciæ accepto referenda est. Postquam enim in tantam prorupit audaciam, ut Jesum Christum repelleret, ipsa vicissim à Deo & veritate repulsam passa est. Alter exinde corruptionis fons erupit, defectus nempe infallibilis autoritatis, quam opinionum suarum certam regulam sequerentur; cum interim insitis præjudiciis & magistræ errorum ignorantia in sinistra raperentur. Ex quo nempe concedere S. Spiritum doctrinæ hominum coegerunt, divinis traditionibus substituerunt humanas, & privatorum doctorum opiniones veterum Prophetarum ejusdemque Moysis autoritati preposuerunt; dissidium, error, pervicacia & ignorantia omnia illorum invasit. Cum interim Ecclesiæ Catholica contrariâ planè agendi ratione fidei depositum sanctè servavit, ac Doctrinæ unitatem & veritatem in omnibus studiis dogmatibusque suis assererit.

DIS

DISSERTATIO DE RE VESTIARIA HEBRÆORUM.

Uo potissimum vestium genera apud veteres Hebræos spectantur; tunica nempe & pallium, quorum illam subuculæ loco habebant, pallio pro extimâ veste utebantur. Nec alia erat familiaris vestendi ratio apud Ægyptios, Persas, Babylonios, Græcos, & Orientales plerisque, mares aequè, & foeminas. Quamquam muliebres vestes, ac maximè pallium, alterius essent à virilibus formæ; & cum rarè foemina eodem pallio uterentur, idè ab Herodoto assertum legimus, Ægyptias foeminas unicâ tantum veste usas, cum viri duplicem haberent (1).

Herod. l. 2. c. 36.

Tunica simul & pallium vestes illas componebant, quas Scriptura par vestium seu mutatoria vestium, integram nempe absolutamque vestem appellat. Ita Naaman dono obtulisse Eliseo legimus 4. Reg. 5. 5. decem mutatoria vestium, nempe decem tunicas cum pari numero palliorum. Cum verò non idem ac nostrorum temporum usus per eam ætatem obtineret, ut vestes forfice componerentur & acu, neque toties mutarent vestendi mores, plures in usum paratas vestes, sicut manus aliis tradendas, divites in suis vestiaris reservabant. Nostrâ etiam ætate apud Turcas obtinet, ut Legati Principum, cum abeundi licentiam ab iisdem Turcis petierint, vestimentis donentur.

Gen. 3. 7.

Gen. 3. 21.

Gen. 4. 22.

Hebr. 11. 37. & 4. Reg. 1. 8. a Cesar Comment. 1. 6. b Just. l. 1. Sec. nec. epist. 90.

Moysæ referente legimus, primæ vos mortalium patres amplioribus quibusdam zonis è foliis ficum pro veste usos (u), quas deinde Deus in tunicas pelliceas reformavit (x). Hæc primorum mortalium res vestiaria tandiù obtinuit, quandiù limum, lana, & gossypium concedere ruderè illud vestium genus non coegit. Creditur Nohema soror Tubalcham (y), eadem faciliè quæ veterum Minerva, omnium prima nendi artem, simul etiam telas pannosque conficiendi, invenisse; sed ita in morem concessum est, ut primæve etiam pelliceæ vestes retinerentur, quemadmodum ex Levit. 11. 32. & 13. 48. 49. 51. 52. & 15. 17. Num. 31. 26. intelligimus. Prophete maximè pelliceis vestibus delectabantur (z); nec in usum erant apud Persas, Gallos (a), Scythas (b), Æthiopes, Ægyptios, Arabes, quorum plerisque nostrâ etiam ætate eadem vestendi consuetudo manet.

Vulgares tunica lino gossypiove constabant; utriusque enim generis parent in Dissert. Calmet. Tom. I.

descriptione vestium Sacerdotalium, & Leviticarum apud Hebræos. Mentio ibi de tunicis lineis, Hebræicè *Bad* (c), de carbassis, Hebræicè *Scheseb*, quas tamen è gossypio potius textas, ad Exod. 25. probavimus. Nec inviti concederemus aliquem fuisse, sed rariorem lanæ usum in tunicis.

Levit. 16. 6.

Quæ leguntur Gen. 37. 3. de tunica Joseph, & 2. Reg. 13. 8. de tunica Thamar filie Davidis, mirè torquent Interpretes. Hebræum enim habet *tunicam passim*, quod Septuaginta, & S. Hieronymus vertendum maluerunt *tunicam polymitam*; alii reddunt vestem pluribus pannorum laciniis varii coloris, alii tandem tunicam opere phrygio ornatam. Moyses de industria observat, hanc tunicam à parente Jacob filio Joseph paratam, quod eum præ ceteris fratribus amaret; ex quo atrox invidia in puerum apud alios fratres conflata. Author Libri Regum indicat, eâ tunicâ pro more regii generis foeminarum Thamarum indutam.

Non inviti credimus, *tunicas passim* ejusdem fuisse generis cum iis, quibus Principes foemine hodie usque in Oriente utuntur; constant autem longioribus quibusdam subuculis è tela, radiis, vel lineis alterius coloris distinctâ, & sæpè auro, argentoque variatâ. Virilis infra genua non descendit, quemadmodum & manicis est brevioribus, nec infra cubitum; muliebres longior, & manicis ad oram amplissimis, inde verò ad humeros usque sensim strictioribus. Aquila pro *tunica passim* reddidit *vestem stragulatam*; Symmachus tunicam manicatam. Herodotus tunicas Ægyptias lineas esse narrat (d), ad extremam oram laciniis ornatas.

Herod. l. 2. cap. 81.

Alterius etiam generis tunicas, *strictas* vel *arctas* vocant, in usum Sacerdotum legimus Exod. 28. 31. Ambiguæ originalis voces Interpretes inter se committunt; alii enim vestem ornamentis, & laciniis divitem reddunt; alii auro, gemmis, vel unionibus variatam; alii disseminatam pictis oculis vestem, instar caudæ pavonis; alii verò vestem radiis quibusdam, vel asperâ superficie scitè distinctam. Nos in Commentario ad Exodum pro veste texturâ firmioris, & fortè polymitâ interpretati sumus.

Muliebres tunica virilibus per omnia similes, non nisi prolixitate, & ornamentorum genere distinguebantur. Quamvis enim utraque manicatæ essent, laciniis ornatæ, amplioribus tamen, & tenuioribus foemine utebantur. Hæc de illis produnt Dddd 2 Iii-